

P R A E F A T I O

*dicendi exercitationibus non modo stilus ingeniumque
tironum acuitur et alitur; memoria augetur et cre-
scit; lingua, vox, vultus, gestus, aures, erudiun-
tur et formantur; liberalis denique et ingenua qua-
dam confidentia excitatur et affertur; sed, ubi plau-
sum oratores fauoremque auditorum tulerint, et
ipsorum et condiscipulorum, nisi omnium, tamen
multorum, in pectoribus amor studiumque laudis et
litterarum, vel accenditur, vel inflammatur. Hoc
autem studio laudis, hac litterarum cupiditate, tiro-
num, dici non potest, quantopere augeatur et inci-
tetur ipsorum magistrorum liberalium industria ac
diligentia, ut etiam valetudinis vitaeque cum periculo
consulere discipulorum rationibus studeant, quum ea-
re ipsius religionis Christianae, ipsius patriae com-
munis, rationes et commoda mirifice adiuuari intel-
legant. Et ipsa necessitas scribendi atque edendi li-
bellos, quibus patroni fautoresque scholarum corro-
gentur, offert magistris amplissimam occasionem, cum
bene merendi de salute et discipulorum et ipsarum
litterarum, tum probandi omnibus doctrinam atque
eruditionem. Quis autem est ab studio et cupiditate
laudis adeo alienus et auersus, qui non amplectatur
cupidissime, atque adeo arripiat hanc rei tam praec-
clarae occasionem audiissime?*

*Nam profecto diligens et accurata interpretatio
librorum Graecorum Romanorumque veterum, qui ut
legerentur in ludis litterariis cotidie, maiores sa-
pien-*